

140

~~IN~~ IN NOMINE SS. TRINITATIS,

Autoritate & Consensu,

Amplissimæ Facultatis Medicæ, In illustri  
Academiâ Regiomontanâ

PRO LOCO,

In inclytâ Eadem Facultate, sibi bene-  
volè concessò,

DE

CHOLERA,

Publicè disputabit

GEORGIUS LOTHUS,


Philos. & Medic. D.

RESPONDENTE

JOHANNES Storch / WESTPHALO.

In Auditorio Majori

Ad d. 15. Jul. horis Matutin.



REGIOMONTI, Typis REUSNERIANIS.

ANNO M. DC. IL.

athol. spec.  
370,30

Morb spec 884



IN NOMINE SS. TRIUNITATIS

Ammonius & G. C.

Amplissima Facultatis Medicorum

PROLOGO

In iudicio Publico Facultatis Medicorum

CHOLERA

Publice disputatio

GEORGIVS DOTHRUS

Philos. & Medic. D.

RECTORIS

JOHANNIS GERICI WESTPHALI

in Auditorio

M. D. C. C. L. J. J. J.

LECIOMONTI

LECIOMONTI

ANNO M. D. C. C. L. J. J. J.



*S*unt varij Morbi, Capitis sunt, Pectoris, Imi  
Sunt etiam Ventris, Coetera membra dolent.  
Enumerare vetat, Species, Symptomata, Causas,  
Distichon. At rogat hoc! Cur placuit **CHOLERÆ**  
Cura Tibi? Miror! Sed stat sua cuiq; voluptas:  
Apprecor, ut cures, (& placeas) **CHOLERAM!**

Sic in theses

de

**Cholerâ Ludebat**

**D. M.**

Excellentissimo ac Illustrissimo Dno Lo.  
Herculynge Gyfio in Academia Wic  
Jil Celeberrimo, fautori et amico suo  
Hanc pro loco  
mit  
Lud



CHOLERA

Sicut rari morbi, Capitis sunt Pericula, ita  
Statim erunt Vires, Coacta inchoant dolent.  
Humores omnes, Species, Symptomata, Causas  
Difficilius de rebus, et placuit CHOLERA  
Cura Tibi, Merer! Sed haec facit voluptas;  
Apparet, necesse, (et placens) CHOLERA

Sic inchoat

Cholera Indicat

D. M.

Illudque Cholera morbi, quod non est



CUM DEO  
DE  
CHOLERA

THES. I.



Ventriculus, qui inter partes nutritioni dicatas, primum sibi vendicat locum, non uno morborum genere afficitur. Etenim præter intemperies tam simplices quàm compositas, malam compositionem & morbos solutæ unitatis, variis etiam infestatur symptomatis. Quorum alia sunt facultatis retentricis, alia concoctricis, alia deniq; expultricis. Inter symptomata facultatis expultricis & Cholera numeratur, quam in præsentis disputatione, cum affectus sit acutissimus & periculosissimus, delineabimus breviter.

II.

Cholera autem Græcis *χολέρα* à causâ proximâ bile sc. quæ Græcis *χολή* dicitur, nomen habere videtur. Nonnulli à parte affectâ nempe ab intestinis, quæ à Græcis *χολάδες* nominantur ejus denominationem petunt. Utraque derivatio admitti potest, quamvis prior mihi magis arrideat. Qui autem Cholericâ passione laborant *χολερικοί* vel *χολεριάντες* dicuntur.

III.

In genere vocabulum hoc, cholera & aridam seu siccam denotat, quæ est spiritus flatuosi per superiora & inferiora eruptio; in specie verò & plerumque, humidam, quæ proprie nonnullis cholera dicitur, significat, de quâ etiam hîc acturi sumus.

IV.

Partem affectam seu subjectum hujus affectus duplex constituimus, quorum unum est Primarium, alterum Secundarium. Subjectum primarium est ventriculus secundum totum, cui & gula coafficitur; Secundarium sunt intestina, quorum facultas expultrix æquè ac ventriculi & gulæ, ad materiam sibi molestam & noxiam expellendam irritatur.

V.

Est itaque Cholera materiæ biliosæ, summè acris & amaræ,  
A ventri-



ventriculum & intestina infestantis, per gulam simul ac per anum continua fermè ac cum magnâ copiâ rejectio, à facultate expultrice vehementer irritata ortum habens.

VI.

Notandum verò, quando in descriptione symptomatis hujus periculosissimi dicimus, Choleram esse materiæ biliosæ per superiora & inferiora evacuationem, quod hæc verba non sint accipienda exclusivè ac si sola bilis in hoc affectu excerneretur; Sæpe enim & alii humores vitiosi simul cum bile reiiciuntur, qui vel in ventriculo geniti, aut aliunde illapsi sunt, quia tamen bilis seu materia biliosa, morbi hujus causa potissima & proxima esse videtur, eam tantum in definitione nominare voluimus.

VII.

Causa Cholerae Proxima est humor biliosus, acris & amarus, primariò ventriculi, secundariò verò etiam intestinorum & gulæ facultatem expultricem, ad materiæ vitiosæ ac naturæ molestæ excretionem vellicans & laceffans.

VIII.

Humor autem biliosus, proxima hujus affectus causa, ex parte non nunquam in ipso ventriculo generatur, ex cibis assumptis calidis & siccis, dulcibus & pingvibus, imprimis si in nimia copiâ aut ordine præpostero assumuntur; Sæpe verò ex aliis partibus ipsi communicatur. Non rarò ex corpore toto, ac venis omnibus biliosi humores in ventriculum confluere solent.

IX.

Causæ cholerae remotæ, sunt omnia ea, quæ humorem biliosum, acrem & amarum, producere, aut in corpore latentem, agitare queunt. Et sunt inter res Naturales. 1. Temperamentum Calidum & siccum totius corporis, præcipuè verò Epatis aut ventriculi. 2. Humor, imprimis biliosorum, in corpore abundantia. 3. Aetas juvenilis & quæ eam sequitur. Unde in his ætatibus frequentius Cholera gignitur.

X.

Inter res non-Naturales ad cholerae generationem faciunt. 1. Aër valdè calidus, hinc æstate plerumque hic affectus oriri solet, quia hoc tempore, ob aëris intemperiem, non tantum humor biliosus facilius generatur, sed & ob calidi innati debilitatem & a-



lii humores vitiosi magis cumulantur. 2. Cibi qui facile putrescunt & in biliosum humorem convertuntur, ut sunt pepones, fungi, melones, cucumeres, pruna, persica & alii fructus fugaces: cibi item pingves, dulces & acres, qui sive ob immoderatam copiam, sive ob pravam qualitatem, sive ob calidam ventriculi intemperiem corrumpuntur, aut nidorem acquirunt, ita ut jam ventriculum summoperè offendant, ex remotâ in proximam huius mali causam convertuntur. Huc referri possunt & medicamenta acria, quæ si in nimia quantitate aut non benè correctâ exhibeantur, choleram quoque inducere possunt. 3. Inter animi pathemata, imprimis ira & excandescencia, terror quoque subitus & tristitia huic affectui ansam præbere possunt. Etenim hi animi affectus, non saltem ad vitiosi humoris in ventriculo generationem faciunt, ac humores in epate & venis corrumpendi vim habent, sed præterea causæ quoque esse possunt, ut humores vitiosi alibi generati in ventriculum effundantur. 4. Vehemens corporis exercitatio, motusque nimius, quoniam sanguinem corporis nostri reddit calidiorem, humoresque vitiosos in eo latentes vehementer agitat, hic aliquid præstare potest. 5. Vigiliæ modum excedentes, quia corpus totum exsiccant, ac materiam biliosam augent, inter causas huius affectus remotas numerari possunt.

#### XI.

Tandem inter Res præter naturales, quæ ad huius affectus generationem nonnunquam concurrunt, sunt intemperies calidæ, Epatis & ventriculi, ob quas humor biliosus copiosius gignitur, itemque vigiliæ nimix, de quibus jam in antecedentibus dictum. Huc quoque vitiosa ductus cholidochi in ventriculum insertio referri potest.

#### XII.

Post causarum tam proximæ, quàm remotarum delineationem, sequuntur differentiæ. Quarum quæ in curatione maximè observari debent, duæ sunt. Una, quando Cholera dividitur in eam, quæ fit per *ιδιοπάθειαν* seu per essentiam, cum materia generatur in ventriculo; & eam, quæ fit per *συμπάθειαν* seu per consensum, cum materia ex aliis partibus parti affectæ communicatur. Altera quando cholera, pro intensione & remissione causarum, intensior & remissior dicitur.

A 2

Signa



## XIII.

Signa cho'erae sunt satis manifesta. Aegri enim, qui eâ laborant, assidue vomunt, ac simul per alvum, materiam biliosam aliosque humores vitiosos, cum difficultate maximâ excernunt. Adest præterea sitis, dolor ventriculi & intestinorum &c. Nonnunquam etiam animi deliquia, aliaque symptomata huic affectui superveniunt, eaque vel majora vel minora, prout materia choleram excitans, vel in majore, aut minore copiâ adest, aut qualitatibus nunc minus, nunc magis peccat.

## XIV.

An verò materia, quæ hujus mali causa existit, in ventriculo genita, aut huic aliunde communicata sit, ex signis ventriculi, aut aliarum partium affectarum, quæ materiam hanc suppeditant, cognoscere licet.

## XV.

Ob symptomatum, quæ in hoc affectu concutere solent, multitudinem, cholera morbus est acutissimus & periculosissimus, quapropter celerrimè curari postulat. Dilatio enim omnibus morbis acutis nociva est.

## XVI.

Choleram, quæ plura & majora symptomata habet conjuncta, periculosiorem esse, quàm in quâ symptomata minora & pauciora apparent, per se manifestum est.

## XVII.

Nonnullis stasis periodis cholerae salubriter moventur,

## XVIII.

Tandem, quod hujus affectus curationem concernit, consistit ea, in causæ remotione, symptomatum mitigatione, & virium re-  
stitutione.

## XIX.

Evacuatio igitur humorum vitiosorum, quam natura ipsa in hoc periculosissimo malo instituit, in principio aliquantulum permittenda est, dum pravi & corrupti humores exierint. Nec statim vomitus sistendus, aut alvi fluxus cohibendus, ne materiâ vitiosâ in corpore retentâ, malum reddatur periculosius.

## XX.

Imò si vitiosa materia ad superiora vergat, sufficienter verò excerni non potest, Natura ad ejus exclusionem adjuvari potest,  
exhi-



exhibitis iis medicamentis quæ vomitum leniter concitare valent, ut sunt juscula pingvia, aqua simplex tepida, oleum olivarum, amygd. dulc. &c. Alvus quoque, si irritatio magna, evacuatio verò sit parva, benignè purgantibus & laxantibus ducenda est. Locum præcipuè hîc habent, Rhabarb. sirup. ros. solut. myrobal. Maximè verò clysteres lenientes hîc utiles sunt, qui ex decoct. hord. vel decoct. pulli, carn. vit. sero lact. addito ol. viol. sacch. rubr. ovi que vitel. parari possunt, ac simul detergendi ac revellendi vim habent. Fortiora autem medicamenta tam purgantia quàm vomitoria in hoc affectu adhibenda non sunt.

#### XIX.

Si verò vomitus sit ingens, aut alvi dejectio nimia, atque inde deiiciantur vires, cum virium semper habenda sit ratio, materiæ per contrariam partem, revulsio & evacuatio institui debet, & nunc leniter purgandum, nunc vomitus concitandus est.

#### XXII.

Similiter procedendum, in curatione, Cholerae quæ à materiâ, aliunde in ventriculum conflente, ortum habet. Materia sc. quò sponte suâ vergit, eò ducenda est, & evacuatio, si opus, adjuvanda. Simul tamen & partium mittentium hîc habenda est ratio, quarum intemperies, remediis accommodatis, corrigenda. Humorù verò acrimonia, ne facultatem expultricem, adeò stimulet, demulcenda.

#### XXIII.

Vomitù denique cohibendus, medicamentis tam internis, quàm externis. Inter interna medicamenta, præcipuum locum obtinet, Theriaca recens, quæ ad drachm. un. exhibita, vehementes illas evacuationes, velut in momento sistit. Idem præstat & laud. opiat. ad. gr. iij. jv. cum conserv. rosar. Vitriol. aut mivâ cydon. exhibitum. Notandum verò quod hæc remedia tum demum exhibenda sint, quando reliqua medicamenta nihil proficiunt. Alias internè, Succu cydon. crud. cochlear. j. vel ij. exhiberi possunt. Sal. quoque Absinth. Scrup. un. cum succu limon. cochleari mixtus, præstantissimum in vomitu remedium esse dicitur.



## XXIV.

Exterius regioni stomachi, refrigerantia & roborantia admoveantur. Ut sunt Succus Portulacæ, endiv. plantag. granat. qui cum farinâ hordei & pane miscendi ac ventri imponendi sunt. Utilis quoque est fodus ex spongiâ novâ, in aquam rosac. & acet. rosac. immersa. Vel fodus ex herbis refriger. & adstring. parari ac adhiberi potest. Commendatur hîc quoque Empl. d. crust. panis. Item crusta panis cum acet. rosac. macerat. & pulv. rosar. rubr. balauft. sem. coriandr. mastich. corall. rubr. sant. citr. conspersa, & regioni ventriculi imposita. Et certè necessaria sunt hæc medicamenta externa, quoniam sæpè internis majorem in hoc affectu efficaciam habent.

## XXV.

Quomodo verò sævissima, quæ huic affectui superveniunt, symptomata, sint mitiganda, ex particulari de iis doctrina petere licet.

## XXVI.

Quia v. vires, in hoc affectu, ex maximis evacuationibus, citissimè concidunt, earum instaurationi diligenter incumbendum est. Perficitur autem ea, partim iis medicamentis, quæ in virium imbecillitatis curatione à Practicis proponi solent; partim optimâ & huic affectui convenienti diætâ. Medicamenta, huic scopo inservientia, ex Autoribus peti possunt. Quæ verò diætâ in cholera curatione, sit observanda, paucis annectemus.

## XXVII.

Aër itaque sit temperatus. Fervidus n. spiritus dissipat; Frigidus autem materiam ad ventriculum & intestina protrudit. Ad instaurationem virium quoque, stratis in pavimento herbis, & flor. odorif. aër corrigi potest.

## XXVIII.

Cibus sit tenuis & refrigerans, succi boni & facilis coctionis, aq. ros. aut succ. granat. conditus. Aspergi quoque possunt pulv. ex margarit. corall. & crystal. Panis sit maceratus succ. granat. vel imbutus succ. Citr. Cydon. Rib. vel vino solo imprimis si syncope immineat. In principio autem hujus mali ab ejusmodi adstringentibus abstinendum, ne ex usu eorum humores ventriculo magis impingantur. Potus sit aq. hord. vel cerevis, tenuis. Nonnulli



nulli vinū quoq; in hoc affectu concedunt, imprimis laudatur ab-  
sinthites, quod ventriculum roborandi & pravitatem humorum  
corrigen- di vim habet. Sed tum febris abesse debet.

XXIX.


Vigiliae nimiae nocent, somnus verò valdè prodest. Hic ergò  
conciliari debet, per medicamenta somnifera, aut narcotica ritè  
præparata & exhibita: cujnsmodi sunt philon. pers. & roman.  
requies Nicola. catapotia ex Cynogloss. Sirup. d. papav. &c.

XXX.

A motione vehementiori, quoniam humores magis magis-  
que agitat, viresque jam prostratas magis debilitat, abstinendum.  
Aegri quoque hoc affectu laborantes, animi affectibus frenum  
iniiciant. Imprimis mœror, timor, & ira hinc nocent,

## Conclusio.

*Hæ sunt Theses, quas de Cholera non eleganti  
verborum transpositione, aut circuitione, sed animo,  
magis ad rem, quàm verba, intento, breviter profer-  
re volui. Etenim non eloquentiâ, sed remediis cu-  
rantur morbi. Qui verò plura, de præsentia materiâ,  
legere cupit, adire potest Practicos, Sennertum impri-  
mis, Alexand. Trall. Trincavel. Plater. Pison. Vid.  
Vidium, River. & alios.*



GLORIA LAUSQUE DEO.

Sint hæc Mantissæ loco:

I.

**AD** generationem foetus, uterq; Pa-  
rentum, concurrît activè,

Semi-



II.

Semini, ex quo foetus formari debet, animam actu inesse asserimus.

III.

De sanguine menstruo, quem statis periodis mulieres excernunt, dicimus, quod per se non sit venenatus, & noxius.

IV.

Foetus in utero materno, vitâ non propriâ, sed alienâ vivit.

V.

Coctio ciborum in ventriculo, melior fit in vigiliis, quam in somno.

VI.

Acetum calidum potius, quàm frigidum esse, statuimus.

VII.

Facultates, in partes cum spiritibus influere, absurdum in Philosophiâ.